

Quomodo accipitur remissio peccatorum
seu iustificatio?

Homo in conuersione seu in veris doloribus accipit remissionem peccatorum propter mediatorem Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem, gratis^b sola fide non propter propriam dignitatem seu propter vir- 5
tutes proprias aut propria opera seu merita.

Dic testimonium de hoc articulo.

^cActo. 10:^c „Huic (Christo) omnes prophetae testimonium dant remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.“¹⁶⁰ Rom. 3: „Iustificamur gratis gratia ipsius per redemptionem, quae facta est in Christo 10
Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem in sanguine eius per fidem.“¹⁶¹

[84:] Quomodo intelligenda est haec propositio: „Fide sumus iusti“ aut „fide accipimus remissionem peccatorum“?

Propositio haec: „fide sumus iusti“ intelligitur correlatiue, videlicet per mi-
sericordiam sumus iusti propter Filium Dei. Ideo autem fit mentio fidei, quia 15
fide oportet accipi beneficium gratuitum. Vsitate sic dicitur: Non propter nostrum credere, sed propter eum, in quem credimus, iustificamur. Item vt annulus magni aestimatur propter gemmam, sic fides iustificat, non quia qualitas est in nobis, sed quia mediatorem apprehendit.¹⁶²

^b Im Druck durch Versalien hervorgehoben.

^{c-c} Act. 11: F, G.

¹⁶⁰ Act 10,43.

¹⁶¹ Röm 3,24.

¹⁶² Der Vergleich stammt von Johannes Bugenhagen d.Ä. Vgl. Melchior Adam, VITAE GERMANORUM THEOLOGORUM, QUI SUPERIORI SEculo ECCLESIAM CHRISTI VOCE SCRIPTISQUE PROPAGARUNT ET PROPUGNARUNT. CONGESTAE et Ad annum usque MDCXVIII. [...], Heidelberg 1620 (VD 17 1:001326M), 252. 318.